

Epitome superioris constitutionis ex Nomocan., tit. 12, cap. 2. Heretici legitimo modo, ut ceteri, sepeliuntur.

10. Imp. ANASTAS. A. Erythrio.

Si qui orthodoxae religionis emptione vera, vel fictitia aut quocunque alio jure, vel titulo praedia, vel possessiones, resque immobiles, in quibus orthodoxae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt, in haeretica sectae, et contrariae orthodoxae fidei sentientem quancunque personam transferre voluerint: nullam hujusmodi vel inter vivos habitam vel secreto iuricio compositam valere volumus voluntatem, etiamsi ab orthodoxae fidei venditore, vel quocunque modo alienatore commentitio sub qualibet occasione fuerint assignata: sed irrita omnia hujusmodi documenta, et tanquam nec penitus scripta esse censemus. Haec enim praedia et possessiones, quae in haereticas personas quocunque modo translate fuerint vel collatae, fisci nostri iuribus decernimus vindicari. Sive enim apud dominos possessoresve orthodoxos ea praedia maneant, sive ad fisci nostri iura pervenerint: necesse est in his ecclesias et oratoria constituta diligentius et sollicitius instaurari. Nostrae etenim serenitatis undique ad hunc exitum providentia ducit, ut omnipotentis Dei templa [in quibus nostrae fidei instituta perdurant] cultu assiduo per omnia secula reditiva serventur. Nec enim dubitari potest: si in haereticos tales veniant possessiones, in quibus verae fidei ecclesiae vel oratoria constituta sunt, et integritas colitur: omnimodo ab his deseri, atque destitui, [et] omni cultu vacare, omnibus sacris et solitis viduari mysteriis, omni splendore privari, [nullis populorum conventionibus,] nullis clericorum observationibus celebrari, et ex hoc sine dubio easdem ecclesias perire, ruere, et complanari. Nec enim de earum instauracione haeretici potuerunt aliquando cogitare, quas penitus esse nolebant. Quae omnia rescantes ad praesentem legem pervenimus. — Dat. 8 id. August. BOETIO V. C. CONS. ET EUTHERICO. 511.

11. Graeca constitutio ANASTASII AUT JUSTINIANI EJUS EPITOME.

Ubiunque Manichaei inveniantur, capite damnandi sunt. Alia epitome ex Eclog. βασιλ., lib. 1, tit. περί Μανιχαίων, cap. 28. Manichaeo in loco romano degere deprehenso caput amputator.

12. Graeca constitutio JUSTINI A. EJUS EPITOME EX COLLATIONE GRAECA CONSTITUTIONUM ECCLESIASTICARUM.

Manichaei undique expelluntur, et capite puniuntur. Reliqui autem haeretici [haereticius est omnis non orthodoxus] et Graeci [seu Pagani] et Judaei, et Samaritae prohibentur magistratum gerere, et dignitatem habere, aut jus dicere, aut defensores, aut patres civitatum fieri, [ne habeant licentiam vexare, aut judicare Christianos, aut episcopos]. Item militare quoque prohibentur, praeterquam si ex genere cohortalitorum sunt: hi enim manent, onera quidem sustinentes: non offendentes autem, neque in orthodoxos quid exequentes in publicis, vel privatis causis. Qui autem tentaverit quid horum facere, praeterquam quod factum pro infecto erit, dabit etiam 20 libras, et qui publicis ipsos descriptionibus inserere conati fuerint, etiam 20, et praesides quinquaginta: et omnes haec privatis rebus inferuntur. Excipiuntur Gotthi, qui fiunt federati, et aliter prout visum imperatori fuerit, honorantur.

Alia ejusdem pars ex Theodoro Hermopolita.

§ 1. Parentibus diversae fidei existentibus et religionis, illius sententia praevalcat, qui ad orthodoxam illos elegerit perducere fidem: et quamvis pater sit, qui contradicit: ne exinde succensendi materiam captans, necessariis eos privet alimentis, aut aliis necessariis expensis.

13. Graeca constitutio JUSTINI VEL JUSTINIANI EJUS EPITOME.

Haeretici patres nihil habentes legitimum quo accusent orthodoxos filios, coguntur praeter facultates suas etiam alimenta erogare illis, et reliqua necessaria, et conjungere [in matrimonium] orthodoxis et dare dotes et antenuptiales donationes, providentia praesidium et episcoporum. — § 1. Orthodoxi filii haereticorum, qui nihil deliquerint in parentes, illi huiusmodi accipiunt, et indemnatum quod eis ab intestato competit, et adversus haec facta ultima voluntas infirmatur: conservatis libertatibus, nisi aliqua lege prohibeantur. Si vero quid deliquerint in parentes, accusantur, et puniuntur. Habent autem, et cum deliquerint, quartam facultatum ipsorum [partem,] testamentum facto. — § 2. Eadem et in Judaeis et Samaritis obtinent.

26. N. 151, c. 14. — 27. L. 1, § 1, supr. h. t. — 28. Immo vide L. 5, l. 5, vers. cunctis: L. 8, § 3, supr. eod.: N. 115, c. 5, § 14: N. 131, c. 14, vers. si autem orthodoxus: N. 132, — 29. L. 12, infr.: L. 5, supr. h. t. — 30. L. 2, supr. eod.: N. 109, princ. — 31. L. 18, pr. infr. h. t. — 32. d. l. 18, § 1. — 33. Adde N. 115, c. 5, § 14: L. 4, § 6, supr.: L. 15, infr. h. t. — 34. L. 8, § 3, supr. eod.: N. 37, N. 132, — 35. Immo vide L. 8, § 5, supr. h. t. — 36. L. 4, § 6: L.

14. Graeca constitutio ejusdem imperatoris. Epitome ex graeca collectione constitutionum ecclesiasticarum et Nomocan., tit. 12, cap. 2.

Haeretici synacteria, seu collectas facere non possunt, aut parasyntaxes, aut synodos, aut ordinationes, aut baptismata: aut exarchos habere, aut paternitates seu abbatias aut defensiones instituire, aut curare seu administrare villas per seipsos, aut per interpositas personas, aut quid prohibitorum facere. Qui transgressus haec fuerit, ultimum supplicium luit.

15. Graeca constitutio. Epitome ex indice Basilicorum καταγγελίων.

Manichaei liberos quidem habentes orthodoxos, in eos et solos ab intestato [transmittant: nulli] autem alii viventes aut morientes alienanto, [sen per institutionem, seu per legatum, seu per donationem,] omnimodo eorum facultatibus ad fiscalem reddituris rationem.

16. Graeca constitutionis epitome ex collectione graeca ecclesiasticarum constitutionum.

Ex Manichaeo factus orthodoxus, si inventus fuerit ea quae [pristin]i erroris erant, facere, aut saltem una degere duntaxat, et conversari cum Manichaeis, nec confestim prodiderit illa competenti iudici, ultimo supplicio puniuntur.

§ 1. Idem qui in dignitatibus et militiis sunt, sollicite eos, qui in suo consortio sunt ejusmodi inquirant, et prodant: quia si comprehensus Manichaeus dixerit scribi se, et nosci talem a quibusdam, congrue illi puniuntur, ut qui eadem deliquerint, tametsi non sint tales: eadem enim delinquere videntur scientes quidem delinquentem, non facientes autem illum manifestum. — § 2. Qui habet liberos manichaeos, et non manifestat eos ut comburantur, punitur.

17. Graeca constitutionis JUSTINI. epitome ex eadem collectione.

Sanctae, etc. Samaritanorum synagogae destruuntur: et, si alias tentent facere, puniuntur. — § 1. Non possunt successores habere ex testamento, vel ab intestato, praeter orthodoxos: neque donant, aut aliter alienant hi qui non sunt orthodoxi: sed fiscus ipsa vindicat providentia episcoporum et praesidum.

18. Graeca constitutio ejusdem JUSTINIANI EPITOME EX EADEM COLLECTIONE.

Quae de Samaritis lege statuta sunt circa synagogas et successiones obtinent, et in Montanistis, et Ascodrogitis, et Ophitis. Soli enim orthodoxi succedunt ipsis ex testamento, et ab intestato et legata capiunt: ceteri autem haeretici, id est, qui non sunt orthodoxi, et Graeci, seu Pagani et Samaritae non militant, neque ulla dignitate decorantur, neque publicam adipiscuntur curam, neque docent, neque advocacionibus funguntur. Si vero quis ad ea obtinenda simul se orthodoxum, et appareat uxorem habens, aut liberos haereticos, et non adducat ipsos ad orthodoxiam ejicitur. Si vero etiam lateat, non potest quid suarum rerum donare, aut aliter alienare haeretico, sed haec et haereticam delatam ipsius successione vindicat fiscus: in universum enim qui participes sunt militiae, aut dignitatis, aut advocacionis, aut publicae liberalitatis, aut applausus solos orthodoxos habet successores, et res ipsorum quocunque modo ad haereticum delatas fiscus vindicat. — § 1. Si alter conjugum orthodoxus sit, et alter haereticus, oportet fieri liberos eorum orthodoxos: quod si ex his alii orthodoxi fiant, alii haeretici maneant, soli succedunt utrique parenti orthodoxi. Si vero omnes sint haeretici, cognati orthodoxi succedunt, aut iis non existentibus fiscus. — § 2. Habet [constitutio] diversas poenas contra neglectores, et non persequentes aut indicantes praesides et officia civilia, vel militaria, et episcopos, qui quidem et de neglectoribus praesidibus referunt principi: poenae vero fisco applicantur.

19. Idem, A. Juliano P. P.

Cognovimus multos esse orthodoxos liberos, quibus nec pater, nec mater orthodoxae sunt religionis. Et ideo sancimus: ut non tantum in casu, ubi alter [non] orthodoxae religionis est: sed etiam in his casibus, in quibus uterque parens alienae sectae sit, id est, pater et mater: hi tantummodo liberi ad eorum successione[m], sive ex testamento, sive ab intestato vocentur, et donationes, seu aliae liberalitates his accedere possint, qui orthodoxorum venerabili sunt nomine decorati: ceteris liberis eorum, qui non Dei omnipotentis amorem, sed paternam, vel maternam impiam affectionem secuti sunt, ab omni beneficio repellendis. Liberis autem orthodoxis non existentibus, ad agnationem, vel cognationem eorum [orthodoxos tamen] easdem res, vel successiones pervenire. Quod si [nec agnatio] vel cognatio recta inveniantur: tunc easdem res fisci nostri

15, § 1, supr. eod. — 37. L. 5, l. 11, L. 12, supr. eod. — 38. L. 6, § 1, supr. eod. — 39. N. 129, N. 143. — 40. L. 17, supr. h. t. — 41. L. 15, l. 19, L. 20, supr. de episcop. aud.: L. 12, supr. h. t. — 42. d. N. 144, c. 1: adde N. 115, c. 5, § 14. — 43. L. 22, in fin. supr. h. t. — 44. L. 15, supr. eod. — 45. L. 4, § 6: L. 15, l. 18, supr. eod. — 46. Vide tamen N. 115, c. 5, § 14.

juribus vindicari. — § 1. Sed ne videamur morientibus quidem genitoribus, liberis providere: viventibus autem nullam inferre providentiam [quod etiam ex facto nobis cognitum est] necessitatem imponimus talibus genitoribus orthodoxos liberos secundum vim patrimonii alere; et omnia eis praestare, quae ad quotidianam vite conversationem sufficiant: sed dotes pro filiabus et neptibus dare, et ante nuptias donationes pro filiis, vel nepotibus prescribere, in omni casu secundum vires patrimonii hujusmodi liberalitatibus estimandis: ne propter divini amoris electionem, paternam, vel maternam sint liberi provisione defraudati. Omnibus videlicet, quae nostrae constitutiones de penis Paganorum, et Manichaeorum, et Borboritarum, et Samaritarum, Montanistarum, et Tascodrogitarum, et Ophitarum, caeterorumque haereticorum jam constituerunt, ex hac nostra lege confirmandis, et in perpetuum valituris. — Dat. Const. 10 kal. decembr. LAMPADIO ET ORESTE VV. CC. COSS. 530.

In AUTHENT. Ut cum de app. cog., § generalem, collat. 8, tit. 16, al. tit. 11, seu Novell. 115, cap. 5, § 14.

Idem est de Nestorianis et Acephalis: quia si quis ex his liberos habet ecclesiae sanctae communicantis, his solis testamento vel ab intestato hereditatem transmittere potest. Si vero permixti sunt, portio infidelium interim residet penes orthodoxos: ipsis, si conversi fuerint, restituenda quidem sed absque ratione fructuum et administrationis. Permanebit autem apud orthodoxos, si ipsi perseverent in nequitia. Si autem omnes liberi perversi sint, vocentur agnati rectae fidei. Quibus non inventis, si clericus fuerit, ab ecclesia intra annum admittatur: quo transacto si non fuerit clericus, succedat fiscus.

In AUTHENT. De statu et consuetud., § Gazaros, coll. 10, constit. fin.

Gazaros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnoldistas, Circumcisos, et omnes haereticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus: censentes, ut omnia bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii eorum ad successione[m] eorum pervenire non possint, cum longe gravius sit, aeternam, quam temporalem offendere majestatem. — § 1. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles: nisi ad mandatum ecclesiae iuxta considerationem suspicionis, qualitate[m]que personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint: tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur: ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc omnes tanquam haereticos condemnantur.

20. Const. graeca epitome ex ead. collectione.

Haeretici communicantes, aut synaxes, aut baptismata facientes puniuntur, ut qui leges transgrediuntur: et qui domos ipsis ad hoc praebent, jam sanctis penis subjiciuntur. — § 1. Soli orthodoxi intra sacra septa habentes ergasteria utuntur privilegiis, non item haeretici, qui nec intra sacra septa negotiantur, ne divina audiant mysteria. — § 2. Montanistae vero, neque commorantur cum his, qui ex his orthodoxi facti sunt: et qui dicuntur ex ipsis episcopi, aut clerici, expelluntur urbe Constantinopolitana. — § 3. Vetantur mercari mancipia, neque erogationes percipiunt, qui ex his egentes sunt, eas quoque dicuntur honoraria ex judiciis, vel ecclesiis: et qui tribuit eis irrationabilem praefecturam, decem libris multatur, et decem quoque libris praesides ex negligentia, et comes privatarum, et officium eorum.

21. Idem, A. Joanni P. P.

Quoniam multi iudices in dirimendis litigiis nos interpellaverunt, nostro indigentes oraculo, ut eis reseretur quid de testibus haereticis statuendum sit, utrumne accipiantur eorum testimonia, an respiciantur, sancimus, contra orthodoxos quidem litigantes nemini haeretico, vel his etiam qui judaica[m] superstitionem colunt, esse in testimonia[m] communionem: sive utraque pars orthodoxa sit, sive altera. Inter se autem haereticis, vel Judaeis, ubi litigandum existimaverint, concedimus foedus permixtum, et dignos litigatoribus etiam testes introducere: exceptis scilicet his, quos vel manichaeus furor, [cujus partem et Borboritas esse manifestum est] vel pagana superstitio detinet: Samaritis nihilominus, et qui illis non ab-similes sunt, Montanistis, et Tascodrogitis et Ophitis: quibus pro reatus similitudine omnis legitimus actus interdictus est. Sed his quidem, id est, Manichaeis, Borboritis, et Paganis, necnon Samaritis, et Montanistis, et Tascodrogitis, et Ophitis omne testimonium, sicut et alias legitimas conversationes sancimus esse interdictum. Aliis vero haereticis tantummodo judicialia testimonia contra orthodoxos, secundum quod constitutum

47. L. 15, pr. supr. h. t.: L. 14, infr. de jur. dot. — 48. d. L. 15, l. 60, D. de jure dotium. — 49. Tit. 11, infr. de pagan. l. 4, l. 12, supr.: L. 21, infr. h. t. — 50. Adde N. 125, c. 43, in fin. — 51. L. 14, supr. h. t. — 52. L. 5, supr. eod. — 53. N. 144, c. 2, in fin. tit. 16, infr. hoc lib. ne christianis mancip. — 54. N. 45, c. 1. — 55. L. 8, l. 19, in fin. supr. h. t. — 56. d. L. 19, l. 15, supr. de episcopali aud. — 57. L. 5, infr. de testam. mil.

est, volumus esse inhibita. Caeterum testamentaria testimonia eorum, et quae in ultimis eologiis, vel in contractibus consistunt, propter utilitatem necessarij usus eis sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur. — Dat. 5 kal. Aug. Constantinop. post consulatum LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. 532.

22. Idem, A. Joanni P. P.

Divinam nostram sanctionem, per quam jussimus neminem errore restrictum haereticorum, hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in ultimis militum voluntatibus locum habere praecipimus, sive communi jure, sive militari testentur. — Dat. kal. septemb. post consulatum LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. ann. secundo [imperii Justiniani] 532.

TIT. VI.

NE SANCTUM BAPTISMA ITERETUR.

1. Impp. VALENT., VALENS ET GRAT. AAA. ad Flavianum vicarium Africe.

Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum esse censemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui apostolorum praecipua calcantes, christiani nominis sacramenta sortitos, alio rursus baptisate non purificant, sed incendant, lavari nomine polluentes. — Dat. 16 kal. nov. Constant. GRATIANO A. 4 ET MEROBAUDE COSS. 377.

2. Impp. HONOR. ET THEOD. AA. Anthemio P. P.

Si quis rebaptizare quempiam de ministris catholicae sectae fuerit detectus, una cum eo, qui piaculari crimine commisit, [si tamen criminis per aetatem capax sit] et hic cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur. — Dat. 12 kalend. aprilis, Constant. LUCIO V. C. COSS. 415.

3. Impp. THEOD. ET VALENT. AA. Florentio P. P.

Nulli haereticorum danda licentia est, vel ingenuos, vel servos proprios, qui orthodoxorum sunt initiati mysteriis, ad suum rursus bap-tisma deducendi, necnon illos, quos emerint, vel qualitercunque habuerint, necdum suae superstitioni conjunctos, prohibendi catholicae sequi religionem ecclesiae. Quod qui fecerint, vel, cum sit ingenuus, in se fieri passus sit; vel factum non detulerit, exilio, ac decem librarum auri multa damnabitur: testamenti et donationis faciendae utrisque deneganda licentia. Quae omnia ita custodiri decernimus, ut nulli iudicum liceat delatum ad se crimen minori, aut nulli coercionis mandare: nisi ipse idem pati velit, quod aliis dissimulando concesserit. — Dat. 3 kalend. Jun. Constant., FELICE ET TAURO COSS. 428.

TIT. VII.

DE APOSTATIS.

1. Impp. CONSTANT. ET JULIAN. CC. ad Thalassium P. P.

Si quis lege venerabili constitutus, et ex Christiano Judaeus effectus, sacrilegis caetibus aggregetur: cum accusatio fuerit approbata, facultates ejusdem dominio fisci jubemus vindicari. — Dat. 5 non. Jul. Mediol. CONSTANTIO A. 9 ET JULIANO CAES. 2 COSS. 337.

2. Impp. GRATIAN., VALENT. ET THEOD. AAA. ad Hypatium P. P.

Si quis defunctum violatae, atque desertae christianae religionis accusat, eumque vel ad sacrilegia templorum, vel ad ritus judaicos transisse contendit, caeque gratia testari minime potuisse confirmat: intra juguinquennium, quod [de] infociosis actionibus constitutum est, proprias exigit actiones, futuriq[ue] iudicii hujusmodi sortiatur exordium. — Dat. 12 kal. Jun. Patavi, MEROBAUDE 2 ET SATURNINO COSS. 385.

3. Impp. THEOD., VALENT. ET ARCAD. Flaviano P. P.

Hi, qui sanctam fidem prodiderunt, et sanctum bap-tisma haeretica superstitione profanarunt, a consortio omnium segregati sint, a testimoniis alieni, testamenti [ut ante jam sancimus] non habeant factionem: nulli in hereditate succedant, a nemine scribantur heredes. Quos etiam prae-

Tit. VI. — 1. Immo vide L. seq. Tit. VII. — 1. Adde L. 4, § 4, supr. de haeret. — 2. Sic L. 5, infr. ad leg. Jul. de adult.: L. 7, D. ad leg. Jul. peculat. adde tit. D. de statu def. post. quinquen. vide tamen L. 4, infr. h. t.: L. 12, infr. ad leg. Corn. de falsis. — 3. L. 34, in fin. infr. de inoff. test.

ciperemus⁴ procul abjici, ac longius amandari, nisi pœnæ visum fuisset esse majoris, versari inter homines, et hominum carere suffragiis. Sed nec unquam in statum pristinum revertantur: nec flagitia horum oblitterabit pœnitentiâ: neque umbra aliqua exquisitæ defensionis, aut muniminis obducetur: quoniam quidem eos, qui fidem, quam Deo dedicaverant, polluerunt, et prodentes divinum mysterium in profana migraverunt; tueri ea quæ sunt commentitia et concinnata, non possunt. Lapsis etenim et errantibus subvenitur: perditis vero, hoc est, sanctum baptismam profanantibus, nullo remedio pœnitentiæ, (quæ solet aliis criminibus adesse) succurritur. — Dat. 3 id. Maji, *Concordiæ*, TATIANO et SYMMACHO CONSS. 391.

4. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Basso P. P.

Apostatarum sacrilegum nomen, singulorum vox continua accusatione incesset, et nullis⁶ finita temporibus hujuscemodi criminis arceatur indagatio. Quibus quamvis præterita interdicta sufficiant, tamen etiam illud iteramus, ne, postquam a fide devierint, testandi aut donandi quippiam habeant facultatem. Sed nec venditionis specie facere legi fraudem sinantur, totumque ab intestato christianitatem sectantibus propinquis potissimum deferatur. In tantum autem contra hujuscemodi sacrilegia perpetuari volumus actionem; ut universis ab intestato venientibus, etiam post mortem peccantis, absolutam vocem insimulationis congruè non negemus. Nec id patiemur ob stare, si nihil in contestatione prophano dicatur vivente productum. Sed ne hujus interpretatio criminis latius in incerto vagetur errore: eos præsentibus insectamur oraculis, qui nomine christianitatis induti, sacrificia sacrilega vel fecerint, vel facienda mandaverint: quorum etiam post mortem comprobata perfidia, hac ratione plectenda est, ut donationibus testamentisque rescissis, hi quibus hoc deferret legitima successio, hujuscemodi personarum hereditate potiantur. — Dat. 7 id. april. *Ravennæ*, THEODOSIO 12 et A. VALENTINIANO A. 2 CONSS. 426.

5. *Idem*, AA. Florentio P. P.

Eum qui servum sive ingenuum invitum, seu suasionem plectenda, ex cultu christianæ religionis in nefandam sectam ritumve traduxerit⁷, cum dispendio fortunarum capite puniendum esse censemus. — Dat. prid. kalend. febr. THEODOSIO 15 et VALENTINIANO 4 AA. CONSS. 435.

6. Imp. VALENT. et MARTIAN. AA. Palladio P. P.

Eos, qui catholicarum ecclesiarum clerici, vel orthodoxæ fidei monachi, relicto vero orthodoxæ religionis cultu, Apollinaris, vel Eutychemis hæresim, et dogmata abominanda secuti fuerint; omnibus pœnis, quæ prioribus legibus adversus hæreticos constitutæ sunt, jubemus teneri, et extra ipsum quoque romani imperii solum⁸ repelli, sicut de Manicheis⁹ præcedentium legum statuta sanxerunt. — Dat. kal. August. VALENTINIANO A. 7 et AVIANO CONSS. 450.

TIT. VIII.

NEMINI LICERE SIGNUM¹ SALVATORIS CHRISTI HUMI, VEL IN SILICE, VEL IN MARMORE, AUT INSCULPERE, AUT PINGERE.

1. Imp. THEOD. et VALENTIN. AA. Eudoxio P. P.

Cum sit nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri: signum Salvatoris Christi nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positum insculpere, vel pingere: sed quodcumque reperitur tolli, gravissima pœna multando eo, qui contrarium statutis nostris tentaverit; specialiter imperamus. — Dat. 12 kal. Jun. HIERIO et ARDABURIO CONSS. 427.

TIT. IX.

DE JUDÆIS¹, ET COELICOLIS².

1. Imp. ANTONIN. A. Claudio Triphonio.

Quod Cornelia Salvia universitatibus³ Judæorum, qui in Antiochiensium civitate constituti sunt, legavit, peti non potest. — Dat. prid. kalend. Jul. ANTONINO A. 4 et BALBINO CONSS. 214.

¹ Immo vide L. 5, infr. h. t. — ² Vide tamen L. 8, circa fin. supr. de summa Trin. L. 4, § 6, supr. de hæret. — ³ Immo vide L. 2, supr. h. t. — ⁴ L. 18, infr. de Judæis. — ⁵ Vide tamen L. 3, supr. h. t. — ⁶ Immo vide L. 11, L. 12, supr. de hæret. — ⁷ Tit. VIII. — ⁸ Adde L. 11, infr. de Judæis.

2. Græcæ constitutionis epitome ex eadem collectione, et Nomocan., tit. 7, cap. 4, et Eustathio de temporibus.

In festivitibus aut sabbatis suis Judæi corporalia munera non obtinent, neque quicquam faciunt, neque propter publicam privatamque causam in jus vocantur⁴, aut ipsi Christianos in jus vocant.

3. Imp. CONSTANT. A. ad Evagrium P. P.

Judæis, [et coelicolis,] et majoribus eorum, et patriarchis volumus intimari, quod, si quis post hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, et ad Dei cultum resupperit, saxis, aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognovimus) ausus fuerit attentare, mox flammis sanctus est, et cum omnibus suis participibus concremandus. — Dat. 15 kal. nov. *Murgillo*, CONSTANTINO A. 4 et LICINIO 4 CONSS. 315.

4. Imp. VALENT. et VALENS AA. Remigio magistro officii.

In synagogam judaicæ legis, velut hospitii merito, irruentes milites jubent emigrare: quos privatarum domus, non religiosarum loca habitatorum merito convenit attingere. — Dat. prid. non. Martias VALENTINIANO et VALENTE AA. CONSS. 365.

5. Imp. GRATIANUS, VALENTINIANUS et THEOD. AAA. Hypatio P. P.

Jussio, qua sibi judaicæ legis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum datur immunitas⁵, rescindatur. — Dat. 18 kalend. Maji, *Mediolani*, MERODAUDE 2 et SATURNINO CONSS. 383.

6. Imp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

Ne quis christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat: neque Judæus Christianam conjugium sortiatur, nam si quis aliquid hujuscemodi admisserit, adulteri vicem commissi hujuscemodi crimen obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata. — Dat. prid. id. Mart. *Thessalonice*, THEODOSIO A. 2 et CYNEGIO CONSS. 388.

7. Imp. THEOD., ARCAD. et HONOR. AAA. Infantio comiti Orientis.

Nemo Judæorum morem suum in conjunctionibus retineat, nec juxta legem suam nuptias sortiatur, nec in diversa⁶ sub uno tempore conjugia conveniat. — Dat. 3 kalend. Januar. THEODOSIO A. 3 et HABUNDANTIO CONSS. 393.

8. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Eutychemo.

Judæi communi romano jure viventes, in his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quam ad forum et leges ac jura pertinent, adeant solenni more judicium, omnesque romanis legibus conferant, et excipiant actiones. Si qui vero ex his communi pactione ad similitudinem arbitratorum apud Judæos in civili duntaxat negotio putaverint litigandum; sortitorum judicium jure publico non velentur. Eorum etiam sententias judices exequantur, tanquam ex sententia cognitoris arbitri dati fuerint. — Dat. 6 non. febr. HONOR. A. 4 et EUTYCHIANO CONSS. 398.

9. *Idem*, AA. ad Judæos.

Nemo exterius religionis Judæorum, Judæis pret⁷ a⁷ statuet, cum venalia proponunt: justum est enim sua cuique committere. Itaque rectores provinciarum vobis nullum discussorem aut moderatorem esse concedent. Quod si quis sumere sibi curam (præter vos, proceresque vestros) audeat: eum velut aliena appetentem, supplicio coercere festinent. — Dat. 4 kal. Mart. *Constantinopoli*, ARCADIO 4 et HONORIO 3 AA. CONSS. 396.

10. *Idem*, AA. THEODOSIO A. Eutychemo P. P.

Quicumque ex Judæis obnoxii curiæ comprobantur, curiæ⁸ mancipentur. — Dat. 3 kal. Januar. THEOD. A. 4 et RUMORIDIO CONSS. 405.

11. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Anthemio P. P.

Judæos quosdam festivitatis suæ solemniam ad pœnæ quondam recordationem incendere, et sanctæ crucis adsimulatam speciem in contemptum christianæ fidei sacrilega mente exurere, provinciarum rectores prohibeant: neve locis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos citra contemptum christianæ legis retineant: amissuri sine dubio permissa hæcenus, nisi ab illicitis temperaverint. — Dat. 4 kal. Jun. *Constantinopoli*, BASSO et PHILIPPO CONSS. 408.

12. *Idem*, AA. Jovio P. P.

Coelicolarum nomen inauditum quodammodo novum crimen superstitionis vindicavit. Hi nisi ad Dei cultum venerationemque christianam conversi fuerint, his legibus, quibus præcipimus hæreticos adstringi, se quoque noverint adstringendos. *Edificia* autem eorum, quæ nescio cujus

TIT. IX. — 1. N. 45, N. Leon. 55. — 2. L. 12, infr. h. t. — 3. *Die* L. 50, D. de reb. dub. — 4. L. 15, infr. h. t. — 5. L. 10, infr. eod. N. 45; adde L. 15, § 6, D. de excus. tut. L. 5, § 3, D. de decur. — 6. L. 2, infr. de incest. — 7. *Vide* tamen L. 1, § 11, D. de pñ. urb. — 8. L. 5, supr. h. t.

novi dogmatis conventus habent, ecclesiis vindicentur. Certum enim est, quidquid a fide Christianorum discrepat, legi christianæ esse contrarium. — Dat. kalend. april. *Ravennæ*, HONOR. 8 et THEOD. 3 AA. CONSS. 409.

13. *Idem*, AA. Jovio P. P.

Die sabbato ac reliquis sub tempore, quo Judæi cultus sui reverentiam servant, neminem aut facere aliquid, aut ulla ex parte conveniri debere præcipimus: ita tamen, ut⁹ nec illis detur licentia eodem die Christianos orthodoxos convenire, ne Christiani forte ex interpellatione Judæorum ab officialibus, præfatis diebus, aliquam sustineant molestiam: cum fiscalibus commodis, et litigiis privatorum constet reliquos dies posse sufficere. — Dat. 7 kal. Aug. *Ravennæ*, DD. NN. HONORIO 8 et THEOD. A. 3 CONSS. 409.

14. *Idem*, AA. Philippo P. P. per Illyricum.

Nullus tanquam Judæus¹⁰, cum sit innocens obteratur, nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat: non passim eorum synagoga, vel habitacula concrementur, vel perperam sine ulla ratione lædantur: cum alioquin, etiam si sit aliquis sceleribus implicatus, idcirco tamen judiciorum vigor, jurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. Sed ut in hoc personis Judæorum volumus esse provisum: ita id quoque monendum esse censemus, ne Judæi forsitan insolentiam, elatique sui securitate, quicquam præcipites in christianam reverentiam ultionis admittant. — Dat. 8 id. Aug. *Constantinopoli*, HONORIO 9 et THEOD. 5 AA. CONSS. 412.

15. *Idem*, AA. Aureliano P. P.

Si¹¹ qua inter Christianos et Judæos sit contentio, non a senioribus Judæorum, sed ab ordinariis judicibus dirimatur. — Dat. 13 kal. nov. HONOR. 12 et THEOD. 8 AA. CONSS. 418.

16. *Idem*, AA. Asclepiodoto P. P.

Judæi et bonorum proscriptione, et perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominem circumcidisse eos, vel circumcidendum mandasse constituerit. — Dat. prid. kalend. februar. THEODOSIO 17 et FESTO CONSS. 439.

17. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Joanni comiti sacrarum largitionum.

Judæorum primates, qui in utriusque Palestine synædriis dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant, ad eam formam, quam patriarchæ quondam coronarii¹² auri nomine postulabant: et hoc, quod de occidentalibus patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. — Dat. 3 kalend. Jun. *Constantinopoli*, FLORENTIO et DIONYSIO CONSS. 429.

18. *Idem*, græca constitutio ex lib. 60, Basil. tit. 54, cap. 31, et Nomocan., tit. 9, cap. 25.

Judæus, qui eum qui judaicæ religionis non esset, contraria doctrina ad suam religionem traducere præsumperit, bonorum proscriptione damnatur, miserumque in modum puniatur.

Eadem constitutio græce et latine ex Basil. lib. 1, ex lib. 60, tit. 54, cap. 31.

Si Judæus pertrahere Christianum ad religionem suam ausus fuerit, proscribitur, et sanguinis pœnam sustinet.

19. *Idem*, AA. Florentio P. P.

Hac valitura in omne ævum lege sancimus, neminem Judæorum, quibus omnes administrationes et dignitates interdictæ¹³ sunt, nec defensoris civitatis fungi saltem officio, nec patriæ honorem arripere concedimus: nec acquisiti sibi officii auctoritate muniti, adversus Christianos, et ipsos plerumque sacræ religionis antistites, veluti insultantes fidei nostræ, judicandi, vel pronuntiandi quamlibet habeant potestatem. — § 1. Illud etiam pari consideratione rationis arguentes, præcipimus, ne qua [judaicæ] synagoga in novam fabricam surgat: fulciendi veteres, permissa licentia, quæ ruinam minantur. — § 2. Quisquis igitur, vel infulas acceperit, quesitis dignitatibus non potiar: vel [si] ad officia vetita irreperit, ab his penitus repellatur: vel [si] synagogam extruxerit, compendio catholice ecclesiæ noverit se laborasse. Et qui ad honores [et dignitates] irreperit, habeatur, ut antea conditionis extremae, etsi honorariam [illicite] promeruerit dignitatem. Et qui synagogæ fabricam cœperit, non studio reparandi, cum damno quinquaginta librarum [auri]

9. Arg. L. 6, infr. de fruct. et lit. exp. adde L. 2, supr. h. t. — 10. L. 6, infr. de pagan. — 11. Adde L. 8, supr. h. t. — 12. L. un. infr. de auro coron. — 13. Immo vide L. 5, § 3, D. de decur.

TIT. X.

NE CHRISTIANUM MANCIPIUM HÆRETICUS, VEL JUDÆUS, VEL PAGANUS HABEAT¹, VEL POSSEDEAT, VEL CIRCUMCIDAT.

1. Imp. HONOR. et THEODOS. AA. Monoxio P. P.

Judæus servum christianum nec comparare debet, nec largitatis, vel alio quocunque titulo consequetur. Quod si aliquis Judæorum mancipium, vel Christianum habuerit, vel sectæ alterius, seu nationis crediderit ex quacunque causa possidendum, et id circumciderit: non solum mancipii damno multetur, verum etiam capitali sententia puniatur²: ipso servo pro præmio libertate donando. — Dat. 4 id. april. *Constantinopoli*, HONOR. A. 2 et CONSTANTIO V. C. 2 CONSS. 417.

2. *Constitutionis græcæ epitome ex lib. 60, Basil. ex indice κατὰ συζησιὸν et ex collectione græca constitutionum ecclesiasticarum, et aliis auctoribus.*

Græcus [seu Paganus] et Judæus, et Samaritanus, et alius hæreticus, id est, non existens orthodoxus, non potest christianum mancipium habere, neque catechumenum circumcidere: quia et ipsum mancipium christianum ad libertatem pervenit, et qui possidet, dat privatis, [largitionibus] triginta libras.

TIT. XI.

DE PAGANIS, ET SACRIFICIIS, ET TEMPLIS.

1. Imp. CONSTANTINUS ad Taurum P. P.

Placuit omnibus locis, atque urbibus universis claudi protinus templa, et accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. — § 1. Volumus etiam cunctos sacrificiis⁴ abstinere. — § 2. Quod si aliquid forte hujuscemodi perpetraverint, gladio ultore sternantur, facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari, et similiter puniri rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint. — Dat. kal. decembr. CONSTANTIO 4 et CONSTATE AA. CONSS. 342.

2. Imp. THEOD., GRAT. et VALENT. AAA. Cynegio P. P.

Ne quis mortalium ita faciendi sacrificii⁵ sumat audaciam, ut inspectione jecoris, extormentumque præsigio vanæ spem promissionis accipiat, vel (quod est deterius) futura sub execrabili consultatione cognoscat. Acerbioris etenim imminet supplicii cruciatus ei, qui contra vetitum præsentium vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem. — Dat. 7 kal. Jun. ARCAD. et BAUTONE CONSS. 385.

3. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Macrobio P. P. Hispaniarum et Procloiano vicario quinque provinciarum.

Sicut sacrificia templorum prohibemus, ita volumus publicorum operum ornamenta servari. Ac ne sibi aliqua auctoritate blandiantur, qui ea conantur evertere, si quod rescriptum, si qua lex forte præterdatur: abrepta hujuscemodi chartæ ex eorum manibus ad nostram scientiam referantur. — Dat. 4 kal. febr. *Ravennæ*, THEOD. V. C. CONSS. 399.

4. *Idem*, AA. Apollodoro proconsuli Africae.

Ut profanos ritus jam salubri lege submovimus, ita festos conventus civium et communem omnium lætitiarum non patimur submoveri. Unde absque ullo sacrificio, atque ulla superstitione damnabili, exhiberi populorum voluptates, secundum veterem consuetudinem, ministrari etiam festa convivia, quando exigunt publica vota, decernimus. — Dat. 13 kal. sept. *Patavii*, THEOD. V. P. CONSS. 399.

5. Imp. HONOR. et THEOD. AA. populo Carthaginiensi.

Omnia loca, quæ sacris error veterum deputavit, nostræ rei jubemus sociari. Quod autem ex eorum jure ubicumque ad singulas quascumque per-

TIT. X. — 1. L. 56, § 3, supr. de episc. — 2. L. 16, supr. de Judæis. — 3. L. 1, L. 3, L. 7, L. 10, § 4, infr. h. t. — 4. L. 1, § 1, supr. eod. — 5. L. 1, L. 3, L. 7, L. 10, § 4, infr. h. t. — 6. L. 1, § 1, supr. eod.

sonas vel precedentium principum largitas, vel nostra majestas voluit pervenire, id in eorum patrimoniis eterna firmitate perduret. Ea vero quae multiplicibus constitutis ad venerabilem ecclesiam volumus pertinere, christiana sibi merito religio vindicabit. — Dat. 3 kal. septembr. *Ravennae*, HONORIO 10 et THEODOSIO 6 AA. COSS. 418.

6. *Idem*, AA. ASCLEPIODORO P. P.

Christianis, qui vere sunt, vel esse dicuntur, specialiter demandamus; ut Judaeis, ac Paganis quiete degentibus nihilque tentantibus turbulenti, legibusque contrarium, non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint: non ea sola, quae abstulerint, sed convicti in duplum quae rapuerint, restituere compellantur. Rectores etiam provinciarum, et officia, et principales cognoscant se, si non ipsi talia vindicent, sed fieri a popularibus hac permiserint, ut eos, qui fecerint, puniendos. — Dat. 6 id. Jun. *Constantin.* ASCLEPIODORO et MARINIANO COSS. 423.

7. Imp. VALENT. et MART. AA. Palladio P. P.

Nemo venerandi adorandique animo delubra, quae olim jam clausa sunt, reseret. Absit a seculo nostro infandis execrandisque simulachris honorem pristinum reddi, redmiri sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, adoleri in hisdem thura, victimas caedi, pateris vina libari, et religionis loco existimari sacrilegium. Quisquis autem contra hanc serenitatis nostrae sanctionem, et contra interdicta sanctissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere tentaverit: apud publicum iudicem reus tanti facinoris legitime accusetur, et convictus proscriptionem omnium bonorum suorum, et ultimum supplicium subeat. Consocii etiam criminis, ac ministri sacrificiorum eandem poenam, quae in illum fuerit irrogata, sustineant: ut hac legis nostrae severitate perterriti, metu poenae desinant sacrificia interdicta celebrare. Quod si vir clarissimus rector provinciae post accusationem legitimum, et post crimen in cognitione convictum, tantum scelus dissimulaverit vindicare: quinquaginta libras auri ipse iudex, quinquaginta etiam officium ejus confestim fisco nostro inferre cogatur. — Dat. prid. id. nov. MARTIANO A. et ADELPHIO COSS. 451.

8. Imp. LEO et ANTHEMIUS AA. Dioscuro P. P.

Nemo ea quae saepius paganae superstitionis hominibus interdicta sunt, audeat perturbare: sciens, quod crimen publicum committit, qui haec ausus fuerit perpetrare. In tantum autem hujusmodi facinora volumus esse rescanda, ut etiamsi in alieno praedio vel domo aliquid tale perpetretur, scientibus videlicet dominis, praedium quidem, vel domus sanctissimis juribus erarii addicentur: domini vero pro hoc solo, quod scientes consenserint sua loca talibus contaminari sceleribus, si quidem dignitate, vel militia quadam decorantur, amissione militiae, vel dignitatis, necnon rerum suarum proscriptione plectentur: private vero conditionis vel plebeiae constituti, post cruciatum corporis, operibus metallorum, aut perpetuo deputabuntur exilio.

9. *Graecae constitutionis epitome ex praefata collectione, et Nomocan., tit. 6, cap. 5, et tit. 12, cap. 9.*

Si quid datum fuerit aut relictum locis, aut personis, aut ad constructionem paganicis erroris: urbs illud accipiet, in qua persona habitant, aut sub qua loca subjacent: et expenduntur ad similitudinem imperialis reddituum. — § 1. Paganorum autem impietates puniunt praesides: et quae supra suam potestatem erant, referent imperatori.

10. *Graecae constitutionis epitome ex eadem collectione, et Nomocan., tit. 4, et tit. 1, cap. 10.*

Qui post sanctum baptismum in errore Paganorum manent, ultimo supplicio plectuntur. — § 1. Qui vero nondum sunt baptizati, ipsi cum liberis et conjugibus, et omnibus suis perducant se ad sanctas ecclesias, et suos parvulos liberos sine mora baptizari curent: majores vero prius scripturas secundum canones doceantur. — § 2. Si vero propter militiam, vel dignitatem, vel facultates habendas, fingant baptizari: et liberos, aut conjuges ipsorum, aut domesticos suos in errore reliquerint, et eos qui sibi attinent, et necessitudine juncti sunt: publicantur, et competenter plectuntur, et rempublicam non attingunt. — § 3. Si vero non sint baptizati, nec participes erunt in ulla parte reipublice, neque domini erunt rerum mobilium, vel immobilium, sed fisco ipsas vindicabit, et congrue punientur. — § 4. Si autem apparuerint sacrificantes, aut idololatrantes, ut Manichaei puniantur. — § 5. Non docent

3. L. 14, supr. de Judaeis. — 4. *Vide tamen* pr. Inst. de vi honor. rap. — 5. L. 2, § ult. supr. h. t. — 6. Arg. L. 16, D. de usufr. leg. — 7. *Adde* L. 18, in pr. vers. si vero, supr. de haerit.

autem Pagani qualemcunque doctrinam, neque publica fruuntur annona, nec secundum sacram quidem formam.

TIT. XII.

DE HIS, QUI AD ECCLESIAM CONFUGIUNT, VEL IBI EXCLAMANT, [ET NE QUIS AB ECCLESIA EXTRAHATUR.]

1. Imp. ARCAD. et HONOR. AA. Archelao P. Augustali.

Judaei qui reatu aliquo, vel debitis fatigati simulant se christianae legi velle conjungi, ut ad ecclesias confugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum, arceantur: nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint, vel fuerint innocentia demonstrata purgati. — Dat. 3 kalend. Jul. *Constantinopol.* CAESARIO et ATTICO COSS. 397.

2. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Jovino P. P.

Fideli devotaque praerceptione sancimus, nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere: sub hac videlicet definitione, ut si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se majestatis crimine esse retinendum. — Dat. 10 kal. apr. CONSTANTIN. et CONST. COSS. 414.

Extat quidem haec constitutio graeca integrior in 3 synodi actis, sed qualem Theodosius, et post eum Just. in suum Cod. retulit, demptis videlicet praemiis et epilogis, talem ex Cod. Theod. edidimus.

3. Imp. THEODOSIUS et VALENTINIANUS AA. Antiocho P. P.

Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola altaria et oratorium templi circumjectum, qui ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: sed usque ad extremas fores ecclesiae, quas oratum gestiens populus primas ingredite, confugientibus aram salutis esse praecipimus: ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, et post loca publica; [et] januas primas ecclesiae, quicquid fuerit interjacent, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, arceis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere: ne qui hoc ausus sit, cum discrimen suum videat, ad expetendam opem ipsi quoque confugiant. Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo, et sacrosanctis altaribus confugientium quemquam mane, vel vespere cubare, vel pernocitare liceat: ipsi hoc clericis religionis causa vetantibus: ipsos qui confugiant, pietatis ratione servantibus. — § 1. Arma quoque in quovis telo, ferro, vel specie, eos qui confugiant, minime intra ecclesias habere praecipimus: quae non modo a summi Dei templis ac divinis altaribus prohibentur, sed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, arceis, atque porticibus. — § 2. Proinde ii qui sine armis ad sanctissimum Dei templum, aut ad sacrosanctum altare, sive usquam gentium, sive in hac alma urbe confugiant, somnum intra templum, sive ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum injuria, ab ipsis clericis arceantur, designantibus spatia, quae in ecclesiasticis septis eorum tuitioni sufficiant, ac docentibus capitalem poenam esse propositam, si qui eos conentur invadere. Quibus si per fuga non adnuit, neque consentit, praefenda humanitati religio est, et a divinis ad loca quae diximus turbanda temeritas. — § 3. Hos vero, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciunt, praemonemus: dein si telis cincti, quovis ecclesiae loco, vel ad templi septa, vel circa, vel extra sint: statim eos ut arma deponant, auctoritate episcopi a solis clericis severius conveniri praecipimus, data eis fiducia, quod religionis nomine melius, quam armorum praesidio muniantur. Sed si ecclesiae voce moniti, post tot tantorumque denuntiationes noluerint arma relinquere, jam clementiae nostrae apud Deum et episcopum causa purgata, armatis, si ita res exegerit, intronmissis, trahendos se abstrahendosque esse cognoscant, et omnibus casibus esse subdendos. Sed neque episcopo inconsulto, nec sine nostra sive iudicium in hac alma urbe, vel ubicunque jussione, armatum quempiam ab ecclesiis abstrahi oportebit, ne si multis passim hoc liceat, confusio generetur. — Dat. 40 kal. april. *Constantinopol.* ANTHOCHO V. C. COSS. et qui fuerit nuntiatus 451.

4. Imp. THEOD. et VALENT. AA. Imperio P. P.

Si servus cujusquam in ecclesiam altariave armatus, nullis hoc suspectibus, inopinatus irruerit, exinde protinus abstrahatur, vel continuo domino, vel ei, unde eum tam furiosa formido proripuit, indicetur, eique mox abstrahendi copia non negetur. Sed si armorum fiducia resistenti animos insaniam impellente, conceperit, abripiendi extrahendique eum

3. L. 11, l. 12, supr. d. 1.
Tit. XII. — 1. *Immo vide* L. 2, infr. de crim. sacrileg. *adde* N. 17, e. 7 p.

domino, quibus id potest efficere viribus concedatur. Quod si illum etiam configi in concertatione pugnaque contingerit, nulla erit ejus noxa, nec conflanda criminatiois relinquatur occasio, si is, qui ex statu servili in hostilis, et homicidae conditionem transiit, sit occisus. — Dat. 3 kal. april. VALERIO et [AETIO] COSS. 452.

5. Imp. MARCIANUS A. ad populum.

Denunciamus vobis omnibus: ut in sacrosanctis ecclesiis, et in aliis quidem venerabilibus locis, in quibus cum pace et quiete vota competit celebrari, abstineatis ab omni seditione: nemo conclamationibus utatur: nemo moveat tumultum, aut impetum committat, vel conventicula collecta multitudinem in qualibet parte civitatis, vel vici, vel cujuscumque loci colligere ac celebrare conetur. Nam si quis aliquid contra leges a quibusdam [sibi] excubant perpetrari, liceat ei adire iudicem, et legitimum postulare praesidium. Sciant sane omnes: quod si quis contra huius edicti normam aut agere aliquid, aut seditionem movere tentaverit, ultimo supplicio subjacebit. — Dat. 3 id. Jul. ipso MARTIANO A. et ADELPHIO COSS. 451.

6. Imp. LEO A. Erythrio P. P.

Præsenti lege decernimus per omnia loca valitura, (excepta hac urbe regia, in qua nos divinitate propitia degentes, quoties usus exegerit, invocati, singulis causis atque personis presentanea constituta praestamus) nullos penitus, cujuscumque conditionis sint, de sacrosanctis ecclesiis, orthodoxae fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas, nec pro his venerabiles episcopos, vel religiosos economos exigi, quae ab ipsis debeantur: his, qui hoc moliri, aut facere, aut nuda saltem cogitatione atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali, et ultimi supplicii animadversione plectendis. Ex his ergo locis eorumque finibus, quos anteriorum legum praescripta sanxerunt, nullos expelli aut ejici aliquando patimur: nec in ipsis ecclesiis reverendis ita quemquam detineri atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies. — § 1. Sed si quidem ipsi refuge appareant in ecclesia publice, et se in sacris locis offerant quaerentibus convenientibus ipsis servata locis reverentia, iudicium, quibus subjacent, sententis moneantur, responsum daturi, quale sibi quisque perspexerit convenire. — § 2. Quod si in finibus ecclesiasticis latitant, religiosus economus, seu defensor ecclesiae, vel certe quem his negotiis commodiorem auctoritas episcopalis elegerit, reconditam latentemque personam decenter sine ullo incommodo monitus intra fines ecclesiae, si invenitur, praesentet. — § 3. Cum autem monitus fuerit in publico privatoque contractu actione civili: in ejus sit arbitrio, sive per se, sive (si magis elegerit) instructo solenniter procuratore directo, in ejus iudicis, cujus pulsatur sententia, examine respondere. — § 4. Sed si hoc facere detrectet, aut differat: iudiciorum legumque solitus ordo servetur. Itaque si res immobiles possidet, post edictorum solennium citationem, ex sententia iudicantis usque ad modum debiti, bonorum ejus sive praediorum traditio, sive venditio celebratur: quod si res mobiles habet, casque extra terminos occultat ecclesiae, sententia iudicantis, et executoris sollicitudine perquisita, quocunque loco occultentur, erutae, pro aequitatis tramite, modoque debiti publicis rationibus privatisque proficiant. Sane si intra fines habentur ecclesiae, vel apud quilibet ex clericis abscondita, sive deposita fuisse firmantur: studio et providentia viri reverendissimi economi, sive defensoris ecclesiae diligentia inquisita, haec quolibet modo ad sacrosanctam ecclesiam pervenient, profertur: ut pari aequitatis ordine, iisdem ex bonis fisco, vel reipublice, sive ereditoribus, et quibuscumque justis petitoribus ad modum debiti consulatur. Sicubi deposita vel commodata dicuntur, inquirendi talem volumus esse cautelam: ut si sola suspitione apud aliquem adserantur abscondita, de sua etiam conscientia satisfacere auctoritate venerabilis antistitis jubeatur: adjicientes, quod ea, quae de principalibus personis decrevimus; [in causis] fidejussorum, sive mandatorum, seu rerum ad eos pertinentium, vel familiarium, et sociorum, seu participum, et omnino in iisdem causis obnoxiorum personis praecipimus observari: scilicet si ipsos quoque secum confugas intra ecclesiarum terminos habere voluerint: ut eorum quoque bonis publica debita privatique solvantur, et per eos rerum, ubicunque deposita sunt, procedat inquisitio. Et haec quidem de ingenius liberisque personis. — § 5. Sane, si servus, aut colonus, vel adscripticius, familiaris, sive libertus, et hujusmodi aliqua persona domestica, vel conditioni subdita, conquisitatis rebus certis atque subtraetis, aut seipsum furatus, ad sacrosanctae se loca contulerit: statim

2. *Conf. L. 6, infr. ad leg. Jul. de vi publ. et priv.* — 3. *Adde* L. 29, § penult. D. ad leg. Aquil. — 4. N. 125, e. 31. — 5. L. ult. infr. h. t. — 6. L. 18, supr. de episcop. L. 3, D. de collig. — 7. *Immo vide* N. 17, e. 7, l. 4, supr. h. t. — 8. *Orig. L. 18, D. de penis.* — 9. L. 26, infr. de procur. — 10. L. 68, l. 1, § 1, l. 70, D. de judic. — 11. *Vide tamen* N. 17, e. 7, § 1, Edict. Just. 13, e. ult. § 5. — 12. L. 11, § 1, D. de penis. — 13. L. 1, infr. de serv. fugit. — 4. N. 125, e. 35; N. 5, e. 2, § 1, in fin. *adde* § ult. Inst. de his qui sui vel al. jur. — 15. L. 5.

a religiosis economis sive defensoribus, ubi primum hoc scire poterint, per eos videlicet, ad quos hoc pertinet, ipsis praesentibus, pro ecclesiastica disciplina et qualitate commissi, aut ultione competenti, aut intercessionem humanissimam procedente remissione veniae, et sacramenti interventione securi ad locum statumque proprium revertantur: rebus, quas secum habuerint, reformandis: diutius enim eos in ecclesiis non convenit morari, ne patronis seu domoia per ipsorum absentiam obsequia justa denegentur, et ipsi per incommodum ecclesiae egentium et pauperum alantur expensis. — § 6. Inter haec autem quae sedulo ad religiosi economi sive defensoris ecclesiae sollicitudinem curamque respiciunt, erit etiam illud observandum, ut singulorum intra ecclesias confugientium personas, causasque incessanter conquirant: deinde iudices, vel eos ad quos cauae et personae pertinent, instantius instruant; et aequitati convenientia diligentius exequantur. — Dat. prid. kal. Mart. LEONE 3 A. COSS. 466.

7. *Graecae constitutionis epitome ex graeca collectione ecclesiasticarum constitutionum.*

Qui habet actionem aut controversiam cum aliquo, ne turbet ecclesias per se aut alium, sed adest magistratus. Si vero imperatore in criminibus opus habeat, per archiepiscopum ipsum instruat. Adversus haec faciens castigatur.

8. *Graecae constitutionis epitome ex eadem collectione.*

Qui imperatore ad magnam ecclesiam in festo procedente exclamatione usus fuerit: excidet re sperata, et per praefectum ejectus castigabitur. — § 1. Qui vero propter potentem personam ad ecclesiam confugit: doceat imperatoriam majestatem per archiepiscopum et ecclesiae defensores.

TIT. XIII.

DE HIS QUI IN ECCLESIIS MANUMITTUNTUR.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Protogenem episcopum.

Jamdudum placuit, ut in ecclesia catholica libertatem domini suis famulis praestare possint, si sub aspectu plebis adsistentibus Christianorum antistitibus id faciant: ut propter facti memoriae vice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice testium signent: unde a vobis quoque ipsis non immerito dandae et relinquendae sunt libertates, quo quisque vestrum pacto voluerit, dummodo vestrae voluntatis evidens appareat testimonium. — Dat. 6 id. Jun. SABINO et RUFINO COSS. 316.

2. *Idem*, A. Osio.

Qui religiosa mente in ecclesiae gremio servis suis meritam concesserint libertatem, eandem eo jure donasse videantur, quo civitas romana solennitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc duntaxat his, qui sub aspectu antistitum dederint, placuit relaxari. Clericis autem amplius concedimus, ut cum suis famulis tribuant libertatem, non solum in conspectu ecclesiae ac religiosi populi plenum fructum libertatis concessisse dicantur, verumetiam cum postremo iudicio dederint libertates, seu quibuslibet verbis dari preceperint: ita ut ex die publicatae voluntatis sine aliquo juris teste, vel interprete competat directa libertas. — Dat. kalend. Maji, CRISPO 2 et CONSTANTINO 2 COSS. 521.

TIT. XIV.

DE LEGIBUS, ET CONSTITUTIONIBUS PRINCIPUM, ET EDICTIS.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Basso, praefecto urbi.

Inter aequitatem, jusque interpositam interpretationem nobis solis et oportet et licet inspicere. — Dat. 3 non. decemb. SABINO et RUFINO COSS. 316.

2. Imp. THEOD. et VALENT. C. ad senatum.

Quae ex relationibus vel suggestionibus iudicantium, vel consultatione in commune florentissimorum sacri nostri palatii procerum auditorium introducto negotio statumur, vel quibuslibet corporibus, aut legatis, aut provinciae, vel civitati, vel curiae donavimus: nec generalia jura sint,

supr. h. t. — 16. d. l. 5.
Tit. XIII. — 1. L. 1, in fin. l. 2, infr. commun. de manumiss. § 1, Inst. de libertin.
Tit. XIV. — 1. Lib. 1, D. 3. — 2. Lib. 1, D. 4, N. 66. — 3. L. 9, infr. h. t. — 4. d. l. 9, l. 11, l. 12, § 1, infr. eod. — 5. *Vide tamen* L. 12, collata L. 3, infr. eod. — 6. *Vide tamen* L. ult. infr. que sit longa consuet.